
LIBER VII

CAPVT I.

Adoptionem non tantum ius agnationis, sed et ius patronatus adferre

Certum est adoptionem ius agnationis adferre, *l. 23. D. de adopt.* De iure patronatus dubitari potest, puta an liberi adoptiui eadem iura habeant in bonis liberti paterni, quae et ipse pater adoptiuus, quoniam hac de re locus in libris nostris, qui mihi quidem occurrat, in praesenti nullus est. Sed ut legitima hereditas adoptatoris ad eos transit, existimandum est etiam iura libertorum paternorum transire: atque etiam uiuo adoptatore, eis quasi liberis patroni omnem a libertis paternis honorem deberi, quod APPIANVS *libro tertio, ἐμφυλίῳν p. 586.* de adoptatis lege curiata nominatim scripsit iis uerbis: καὶ δύνανται μάλιστα αὐτοὶ ἴσα τοῖς γνησίοις πατρὶν, ἄγειν τὰς συγγενεῖς τῶν θεμένων καὶ ἀπελευθέρους: sic adoptati idem, quod natiui filii, ius habent erga suorum patrum cognatos ac clientes; id est, eo maxime genere adoptionis idem adoptiuis, quod naturalibus liberis, ius dari in cognatos et libertos adoptantis. Maxime ait excludendae testamentariae adoptionis causa; testamento enim iure adoptio non fit, [*uide h. l. infr. cap. 7. p. 198.*] et cognatos pro agnatis accipit. Nam adoptio ius cognationis non adfert. Sed haec Iustinianus mutauit constitutione illa Graeca de iure patronatus, quae desideratur in fine tituli de bonis libertorum. Hodie igitur filii adoptiui adoptatoris libertos non habent.

CAPVT II.

De MINICIO, MESSIO, TRYPHONINO, TERTVLLIANO, AFRICANO, iurisconsultis

Quo tempore iurisconsulti quinque uixerint, cognoscere est operae pretium. De ATILICINO, et FVFIDIO, et GAIO alibi scripsi. Alios quosdam, quorum aequae aetates notatae non sunt, uisum est hoc loco proponere, MINICIVM puta, et MESSIVM, et TRYPHONINVM, et TERTVLLIANVM, et AFRICANVM. MINICIVM NATALEM, ad quem IULIANVS *libros sex* scripsit, constat fuisse Traiani temporibus ex *l. penult. D. de fer.* MESSIVM autem et TRYPHONINVM Antonini *l. ult. D. de iur. fisc.* qua ex re simul et ex *l. 4. D. de extraord. crimin.* intelligitur, Diuos uel Optimos Principes in *l. 30. D. de poen. l. 38. D. de negot. gest.* esse Seuerum et Antoninum, quod etiam constat ex *l. 44. D. de excusat. tutor. l. 12. §. 15. D. de captiu. et postlim. reuers.* et in *l. 12. D. de distr. pign.* Seuerum significari, sub quo PAPINIANVS fuit magister libellorum, et praefectus praetorio. Libellos enim agere, et apud DIONEM epistolas agere, est fungi officio magistri libellorum, uel epistolarum, quod mandari iurisconsultis solebat, et ad libellum apposita subscriptione Principis, magistri libellorum, uel promagistri subscriptio sequebatur. Ex eo etiam intelligitur BAEBIVM MARCELLVM, de quo